



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118464**

§. 45. Parlamentum Aquense in Provincia Synodo subjectum

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI.  
A.C 1515.

## §. XLV.

*Parlamentum Aquense in Provincia  
Synodo subiectum.*

*Collect. Conc.  
t. 14. p. 275.  
Vid. supra  
L. CXXII.  
S. 229.*

His peractis Synodi Procuratores postulabant, ut in Concilii tabulas re-ferretur instrumentum, quod in Curia Senatus Aquensis in Provincia coram Notariis jamjam actis insertum fuerat. In hoc instrumento Parlamentum præfatæ Provinciæ sese submitit Decreto in octava Sessione adversus illius Consiliarios promulgato, hi vero declararunt, quod omnia hæcenus contra Ecclesiasticam libertatem a dicto Parlamento facta & gesta revocent, ac ad pristinum statum omnia reducant; simulque humillime supplicant, ut a censuris, quas incurrissent, absolvantur. Cum igitur Ludovicus de Soleiriis Franciæ Orator, ac hujus causæ Procurator nomine Consiliariorum Aquensis Senatus debita satisfactione culpam reparasset, mox pro iis absolutionem impetravit, ea tamen clausula, *perinde ac si præsens absolutio facta non esset, nisi omnes & singuli principales prædicti infra quatuor menses præmissa omnia ab Oratore eorum nomine promissa rata haberint, & approbaverint.* His ita decretis Sessio soluta est, quam sequens nonnisi anno sequenti millesimo quingentesimo

mo decimo sexto die decima nona Decembris exceptit.

Sæcul. XVI.  
A C. 1515.

§. XLVI.

*Regis Catholici anxietas ob bellicum Gallorum apparatusum.*

**H**aud exiguo temporis intervallo usque ad hanc Sessionem excurrente Papa interea nequaquam otiosus spectator esse constituit eorum, quæ ultro citroque agitabantur, & quidem a Gallis, attentari noverat, ut ii numerofo delectu habito Mediolani Ducatum recuperarent, ab Italis vero, ut sese grandibus Galliarum Regis conatibus opponerent. Hos enim terrebat juvenilis Francisci ætas, animusque gloriæ appetens. Præ ceteris magis anxie Ferdinandi mentem occupabat ingens ille armorum apparatus; quæ enim Gallorum essent consilia dubius hærebat, quamvis Franciscus Rex, quod in Mediolanenses bellum pararet, minus sollicite occultasset; cum vero itidem se Helvetios invasurum obtenderet, inquietissimus curaram turbo Regis Catholici animum circumsonans nova indies cepit incrementa; se enim a Gallorum Rege deludi, ejusque arma Navarram spectare verebatur. Ast ubi foedus cum Venetis innovari, sibi que a Gallis induciarum prolationem ea lege,

E 4

ut